



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Diatribai De Primis Veteris Frisiae Apostolis, Sive
Dissertationes, quibus eoru[m] anni, actus, res,
personae, loca, tempora in eorundem actis occurrentia,
discutiuntur, illustrantur, erroresque ab ...**

Bosschaerts, Willibrord

Mechliniae, 1650

21. Quando Frisij Vltraiectum occuparint.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10958

80 DE PRIMIS VETERIS FRISIAE APOSTOLIS
tissimè obuius est error calcularius, partim ex Graphiariorum oscitantia, partim ex Scriptorum incuriositate res magis quam tempora proferre amantium, partim quod cæcus cæcum ducat, hoc est quod aliorum ἀμαρτήματα securi sine discussione sequantur. Nō dico nos annos semper certò posse designare destitutos frequentius sufficientibus documentis, verum quantum assequi possumus quam probabilissimè designemus. Sic vereor aliquid humanitùs accidisse Ioanni Leidenfi apud quē Dagobertus facellum S. Thomæ condit anno 648. Malo annum retrofiorem. Nemo alius quantum scio (inspexi autem plurimos & probatissimos) eo vsque vitales eius dies prorogat. Imo nec ultra annum 645. Et cur in extremum vitæ punctum distulisset pius Rex, præsertim cum pater Clotarius (modò Hedæ assentiamur) iam possessiones & media tali operi antea disposuisset.

DISSERTATIO XXI.

Quando Frisij Ultraiectum occuparint.

Loquimur de occupatione quæ fuit vltima ante aduentū S. Willibrordi. Questio obscura & de qua etiam nihil certi à veteribus relictum est. Solum habemus Ecclesiā in honorem S. Thomæ à Dagoberto exstructam non multò post præduræ cervicis Frisones solo tenus destruxisse. Sub Dagoberto Rege Saxonum & Baiororum victore id factum, difficile est creditu: potius sub Sigeberto filio qui Austrasiam potitus est puer trium, vel, secundum Trithemium, septem annorum, sub tutoribus tamen strenuis, Adagifilo Palatij rectore & Cuniberto Episcopo Coloniensi, Pipino Landensi adhuc bellum

bellum administrante & post eum Grimoaldo filio testibus Gramaio, Sigeberto, Mirco alijsq; quibus Frisios prævaluisse fors nõ aequum credere. Probabilissimum est occupasse Frisios statim ab obitu Sigeberti Regis, qui contigit circa annum 655. post quem Francorum Reges à solita virtute degenerantes, socordia, luxu, regnum sordidabant, de dignitate Regia, de Maioratu continuè ardebant contentiones, propter Magistratus ambitiones, Ebroini (potius Euerwini) & magistrorum domus insolentias, perpetes flagrarēt discordiæ idque etiam ante annum 670. cui occasione intentis Frisij, haud arduum fuit Traiectum magnamque citerioris Frisiæ partem sibi vendicare, quibus insederunt vsque dum Pipinus Herstallus factus Maior domus Austrasiæ & Franciæ armata manu eos retrocedere cœgit.

DISSERTATIO XXII.

Quis Frisiorum Rex Traiectum occupavit.



T hoc caligine operitur. Heda & Doufa dum aiunt Radbodum occupasse Regiam Traiecti, possunt intelligi id adscribere Radbodo. Nos conformiter ad præcedentem resolutionem malumus adscribere Adgillo Patri Radbodi, quem adhuc in viuis egisse anno 678. disertè edocet Beda agens de S.

Wilfridi in Frisiam eo anno accessu. Argumento nobis est quod Historiæ vnanimiter tradant sacellum à Dagoberto exstructum, non longè post Frisios deiecisse; quod non longè post, cadit potius in Adgillum, quam Radbodum. Heda & Doufa exponi possunt de occupatione detentiuâ,

L quâ,